e-codices

ihu xpi. Iudei enim suam uolentes statuere iusticiam, iusticie dei non sunt subiecti. Siue non intrent in iusticiam tuam. id est non sint participes regni illius, in quo iusticia regnat. Deleantur de libro uiuentium. Liber uiuentium cognitio et electio est qua inmobiliter deus presciit et predestinat electos suos. Hinc in euangelio dicit. Gaudete quia nomina uestra scripta sunt in celo. Scribi enim in celo est, in eternitatis memoria titulari. Et quod sequitur. et cum iustis non scribantur, idem est quod deleantur. Hec omnia de iudeis non maledicentis animo, sed predicentis misterio dicuntur, quia non erant scripti in libro uite, sed scriptos se putabant. Qui enim ibi semel scriptus fuerit deleri non potest, quia solidum est quod illa superna prouidentia decreuerit. Ego sum pauper et dolens. Id est xpistus, qui propter nos pauper factus sit, ut apostolus indicat dicens, quia propter nos pauper factus est cum diues esset, ut illius inopia nos ditaremur. Et dolens, ut esaias manifestat inquiens. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portauit. Doluit enim, quia compati dignatus est humane miserie. Salus tua deus suscepit me. Hoc ex ea parte dicitur, qua minor est patre. Salus inquit tua id est diuinitas in forma dei, que per eam nobis medicina peruenit salutaris. Suscepta est ergo humanitas nostra ab hac salute, ut esset xpistus deus et homo, et ut post ascensionem collocata humanitas ad patris dexteram, et paupertatem deponeret et dolorem. Laudabo nomen tuum cum cantico, et magnificabo eum in laude. Hoc ex parte corporis xpisti. hoc est omnium fidelium dictum accipitur, eorum uidelicet qui commutabuntur, ut in titulo psalmi dictum est. Laudat enim ecclesia nomen dei, quando sollicite custodit unitatem spiritus in uinculo pacis, cum idem sapiunt idem dicunt omnes fideles. Sic enim magnificat deum in laude. Et quanto deo accepta sit sequentia ostenditur. Et placebit deo super uitulum nouellum. Gratius enim est deo sacrificium laudis et unitatis noui hominis, omnibus carnalibus sacrificiis secundum ueterem legem oblatis. Uitulus enim nouellus est omnis xpistianus scientia diuine laudis instructus et noue conuersationis gratia innouatus. Hic uitulus debet habere cornua uirtutum, quibus hereticum et omnem ueritati resistentem uentilet. Debet quoque habere ungulas discretionis, quibus quicquid terrenum et abiectum est, discernat et excutiat a sana doctrina. Siue per ungulas que sunt munimenta pedum, intelligitur conuersatio diuinarum scripturarum munita, per quam omnia aspera huius seculi patienter superantur. Et quod dicit producentem, significat quia xpistianus omnis semper debet in uirtutibus crescere et augeri, iuxta illud. Ibunt de uirtute in uirtutem. Videant pauperes et letentur. id est corde credant et intelligant, atque in spe gaudeant qui sunt pauperes spiritu. Querite dominum non escam corporis, sed uerum panem illum querite et esurite qui est cibus angelorum. et uiuet anima uestra. Illa uita que uera est, que semper eterne felicitatis iocunditate consistit. Quoniam exaudiuit pauperes dominus, et uinctos suos non despexit. Semper dominus pauperes spiritu exaudit, qui mundi istius delicias uoluptatesque contempnunt. Et uinctos suos. hi sunt qui uinculis diuine legis, hi sunt caritatis astringuntur. De quibus per prophetam dicitur. In funiculis adam traham uos, in uinculis caritatis. hos uinctos non despicit, sed eis suam gratiam et misericordiam concedit. Laudent illum celi et terra mare et omnia reptilia in eis. Exultat ecclesia, et optat ut laudetur ab omni creatura. Nomine celi angelos et omnia celestia. Terre uero, homines et omnia terrestria. Maris uocabulo, uniuersa natantia. Altiore sensu celi nomine, apostoli ceterique celesti conuersatione perfecti. Terre autem, humiles in ecclesia qui nihil presumunt de magnis uirtutibus, sed cum psalmista dicunt. Recordatus est quoniam puluis sumus. et cum abraham. Loquar ad dominum meum cum sim puluis et cinis. Mareque cum reptilibus iubetur laudare dominum, illi uidelicet qui profunda diuine scientie curiosa inuestigatione et assidua meditatione scrutantur. Et enim mare aliquando in bonam partem ponatur, propheta indicat dicens. Repleta est terra scientia domini sicut aque maris operientes. Quoniam deus saluam faciet syon, et edificabuntur ciuitates iude. Ecclesie uidelicet xpisti, que de iude progenie descendit, per totum orbem diffundentur. Aliter. Ciuitates iude habitationes superne patrie, de quibus dominus ait. In domo patris mei mansiones multe sunt. He ciuitates cotidie de sanctis et uiuis lapidibus construuntur, in quibus electi pro suo quisque merito inhabitabunt. Unde sequitur. Et inhabitabunt ibi et hereditate adquirent eam. Hoc enim fiet, quando sancti omnes ad illam supernam hierusalem peruenerint. Hec hereditas non mortuis patribus succedendo adquiritur, sed in eternum a semper uiuentibus possidetur. Et semen seruorum eius possidebit eam, et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea. Semen seruorum dicit filii id est imitatores sanctorum precedentium patrum successores scilicet patriarcharum, prophetarum, apostolorum, quorum imitando fidem et iusticiam, filii ipsorum uocari et esse meruerunt. Denique ne hoc de solis iudeis dictum putaremus, subiunxit. Et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea. Omnes uidelicet xpistiani cuiuscumque nationis, siue iudei, siue gentiles qui nomen eius diligunt. hi sunt qui fidem que per dilectionem operatur tenere satagunt. T.

Commemoratio duobus modis fit, cum uel recordatione peccatorum diuinum iudicium formidamus, uel cum concessa nobis diuinitus beneficia ad memoriam gratias agentes reducimus. In hoc ergo psalmo commemoratio est premiorum diuinorum et liberatio iustorum, quod ostenditur in eo quod additur. Quia saluum me fecit deus. Canitur hic psalmus ex persona martyrum, qui uariis tribulationibus atteruntur, sed spem fixam in domino habere non desi— — T.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 148 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/148)